

PRAEDICAMEN-
TA SCOTI.
IN COMMUNI.
QVÆSTIO VNICA.

Utrum sint tantum decem generalissima?

Eorum, quæ secundum nullam comple-
xionem dicuntur; singulum, aut sub
stantiam significat: aut quantitatē:
aut qualitatem: aut ad aliquid: aut
ubi: aut quando: aut sicut esse: aut
babere: aut facere: aut pati, &c.

Cap. 5.

IRCA hoc queritur: Utrum sint tan-
tum decem generalissima? quod non
videtur: ens dividitur in substantiam,
& accidentis: in abso-
lutū, & respectiū:
in ens per se: & in ens in alio: sed tantū
est vnum generalissimum, ens absolutum,
vel ens per se, vel substantia: igitur
tantum est vnum Prædicatum, quod
est Accidens.

Negatur consequentia: quia ens per

se est vniuersum omnibus, de quibus di-

citur; & ita potest esse vnum genus: ens

per accidentem, vel in alio, non est vniuo-

cum illis, quibus conuenit. Contra: si

vnum oppositorum dicitur multipliciter:

& reliquum: per Aristotel. i. Topi-

corum: & verificat illud in omni gene-

re oppositorum: si igitur ens in subiecto

est vniuersum ad nouem: non ens in sub-

iecto erit vniuersum ad tot: & ita erit

re generalissima.

Cap. 12.

octodecim generalissima.

Item, dato, quod Accidens sit equi-
uocum nouē generibus; sequitur; quod
non plus conueniant accidentia inter
se; quam vnum eorum cum substantia:
quia utroque est tantum conuenien-
tia in aliqua voce æquiuoca: igitur non
erit conuenientior diuisio entis in sub-
stantiam, & accidentis; quam in ens Qua-
do, & in ens, non Quando: quia utroque
vnum diuidens est vnum generalis-
sum; & reliquum diuidens æquiuo-
cum ad alia nouem genera. Sequitur
etiam; quod non sit sufficiens diuisio en-
tis in substantiam, & accidentis: quia acci-
dens, cum sit æquiuocum; sumitur pro
aliquo significato; & ita fiet diuisio tan-
tum in duo. generalissima.

Item, ad principale: quod per super
abundantiam dicitur, vni soli conuenit,
per Priscianum: huiusmodi est ge-
neralissimum: igitur tantum vnum est gene-
ralissimum.

Item, omnis diuisio, & multitudo,
reducitur ad vnum, quod est prius illa
multitudine: igitur si sunt multa genera-
lissima; aliquod est vnum prius illis: sed
generalissimis nihil est prius: ergo nec
sunt multa.

Item, album est vnum aliud essen-
tialiter: quia per prædeterminata, nihil
aliud significat, quam albedo: igitur est
in aliquo genere per se: & non in gene-

re.
tex. 15.

5. Topic.

Cap. 6.

re qualitatis: quia qualitas vere prædi-
catur de omni, quod est per se in genere
qualitatis: qualitas non vere prædicatur
de albo: igitur album per se est in alio ge-
nere generalissimum. Ita conuenit argue-
re de concreto cuiuscunq; generis acci-
dentiis: igitur sunt octodecim genera
accidentium.

Item, Quale prædicatur de albo:
quero, sub ratione cuius vniuersalis
non Proprij: quia non conuertitur; non
Accidentis: quia non adest, & abest, &c.
Non differentia: quia non distinguunt al-
bum ab alijs: non I specie; specialissimæ:
quia prædicatur de differentiis specie:
igitur sub ratione generis: & non habet
superueniens genus: igitur Quale est ge-
neralissimum: & non idem, quod Qua-
litas: quia nec habet easdem species: quia
nec prædicatur de eisdem: igitur est aliud
generalissimum. Quod etiam Quale sit
genus patet per Arist. 4. Topicorum do-
centem considerare genus in abstractis
per hoc; quod concretum est in concre-
to; vel non est.

Similiter: sicut albedo ad album: ita
color ad coloratum: ergo permutando:
sicut color ad albedinem: ita coloratum
ad album: sed color vel Qualitas est ge-
nus albedinis: ergo Quale est genus al-
bi. Quod etiam Quale sit aliud genus à
Qualitate, patet: quia intentiones attri-
buuntur rei, non absolute, sed vt consi-
deratur ab intellectu: sed alibi sub alio
modo concipiatur ab intellectu, quam al-
bedo: licet si eadem essentia: igitur po-
test esse aliud habens intentionem alia
ab albedine.

Item, intentiones sunt per se intel-
ligibiles: quia diffinibiles: & in eis ma-
nifestum est esse aliquid superiorius, & infe-
riorius: igitur aliquid supremum: illud
non habet superueniens genus aliquod
istorum: quia ens secundum se diuidi-
tur in hæc decem, in 5. Metaph. est igitur
ens in anima: igitur est vnum gene-
ralissimum intentionum, præter hæc
omnia.

Item, contingit intelligere non ens:
quia & significare, per Arist. 2. Polt, &
in eis estratio superioris, & inferioris:
ergo aliquid supremum: illud non con-
tinetur in aliquo istorum decem: quia
nullum istorum de illo prædicatur: er-
go est distinctum generalissimum non
entium: & ita plura genera, quam de-
cem.

Item, figura concipiuntur ab in-
tellectu: & in eis est superiorius, & infe-
riorius: ergo supremum: ergo aliquod ge-
neralissimum.

Item, de omnibus istis; scilicet, in-
tentionibus; non entibus; figuris; ut
potest argui; intellectus componens fa-
cit compositiones de eis, quarum veri-
tatem, vel falsitatem, iudicat: vt patet;
igitur & intellectus simplex ea conci-
pit: igitur sub aliqua ratione concipi-
di: non singularis: igitur vniuersalis: igi-
tur generis, vel speciei, &c. Igitur est
in eis generalissimum: consequentia au-
tem supposita in omnibus his rationi-
bus: scilicet, quod si est superius in eis;
& supremum, patet per Arist. 4. Meta-
ph. Verius est, quod est primo vero prop-
pinquius: & quinto eiusdem; prius est,
quod est principio propinquius. Estra-
tione: quia aliter non esset status ascen-
dendo: sed processus in infinitum.

Item, arguitur similiter de priua-
tibus.

Diceretur ad hoc: quod cōcreta:
intentiones: non entia: figura: pri-
uationes: & quæsiti huiusmodi, sunt in-
generis, per reductionem ad abstracta:
res primæ intentionis; entia, quotun-
sunt figura, & priuationes: quia cum
communiora intelligentur prius minus
comunitibus; oportet generalissima
esse primo intelligibilia: hæc autem no-
sunt intelligibilia, nisi per attributionem
ad illa, ad quæ dicta sunt habere habitu-
dinem: ideo non possunt ponit genera-
lissima: sed ponuntur in genere per re-
ductionem. Similiter ponitur de poten-
tia, quod est in genere per reductionem
ad actum, cuius dicitur potentia.

Contra hoc: in omnibus istis est per
se prædicatio superioris de inferiori: et
go sub ratione aliquius vniuersalis: quia
prædicari propriè est proprium vniuer-
salis; non alterius quam generis. Argua-
tur de singulis: sicut supra argutum
est de concretis: igitur si non sit pro-
cedere in infinitum in eis, erit aliquod ge-
nus non habens superueniens genus: igi-
tur generalissimum: quia sic diffinitur
generalissimum à Porphyrio: illud nul-
li istorum decem est idem: quia non ha-
bet eisdem species: quia nec de eisdem
prædicatur per se primo modo: igitur
est aliud generalissimum ab istis de-
cem. *Etiam*

316 Prædicamenta Scotti In communi.

Etiam per rationem: nullum istorum decem prædicatur de suis, in quid; ergo per nullum istorum decem habet rationem generis: sed cum æque primo dicatur quodlibet de suis speciebus: sicut alii quod istorum decem de suis; sequitur; quod erunt æque primo genera, & non per reductionem ad aliquod istorum decem.

Similiter, quod inter quælibet prænumerata sit genus, & species, ostenditur per duo argumenta præfata de concreto. Etiam per hoc: quod de quolibet istorum contingit querere, quid; & respondere per aliquod vniuocum, quod est in plus illo, cuius queritur, quid: omnino prædicatum vniuocum in quid, quod est plus subiecto, est genus per Arist. 4. Topicorum.

Quod etiam in responsione dicitur: quod oportet generalissimum esse primo intelligibile; manifeste falsum est: nisi intelligatur respectu illorum, quorum est generalissimum: qualitas enim non est primum intelligibile simpliciter, sed in suo genere: ita ponitur intentionis primum intelligibile respectu intentionum specialium; & non ens respectu non entium particularium: & priuatio respectu priuationum particularium: quia si contradicton non entis, vel oppositum priuationis, prius occurrat intellequi particulari ente, & particulari habitu; sequitur; quod non ens, & priuatio, præintelligantur suis particularibus: quia ens primo dicit in cognitionem non entis: & habitus primo in cognitionem priuationis: non primo huius non entis; & huius priuationis. Sicut potest argui de potentia respectu actus.

De concretis, & intentionibus, non est dubium; quin sint per se intelligibilia.

Posset responderi specialiter de non ente: priuatione: & potentia: quod licet sit prædicatio, in quid, in eis, & superioris; non tamen ratio generis, & speciei: quia nullum prædicatur de pluribus differentibus specie, vel numero: quia non entium; vel priuationum; vel potentiarum, secundum suam rationem nulla est distinctio; sed tantum in habitudine ad eorum opposita.

Contra: tunc aliquid prædicatur proprie de aliquo, imo, in quid, & sub ratione nullius vniuersalis; quod non vi-

detur: cum prædicari de pluribus si, conuertibile cum vniuersali.

Item, hæc est vera: cæcitas non est surditas, præcise ratione significatur: ergo priuationes distinguuntur: licet ea cum distinctio sit ab alio: hoc non prohibet eas esse species: sic anim species, quæ sunt in genere substantiæ, differunt per formam; quæ formæ non sunt ipsæ species.

Item, commune multis nunquam ex se distinguitur in illis: igitur priuatione non distinguitur in cæcitate, & surditate, nisi per aliqua addita, quæ cum priuatione constituant ista in sua ratione: ergo in illis additis abundant hæc à genere: hæc igitur addita sunt differentiæ; licet non ita completem in essendo: sicut differentiæ substantiæ: ergo istæ sunt duæ species differentes.

Ad omnia objecta de ipsis quinque, Concretis: Intentionibus secundis: Priuationibus: Non entibus: & Potentiis: posset responderi: quod licet hæc possint intelligi sub aliqua ratione intendendi: & prædicari inter se sub ratione alicuius vniuersalis: & statum esse ad aliquod vniuersalissimum, quod in quantum attribuitur ei ista intentione, est diuersum ab ipsis decem: tamen stat tantum esse decem generalissima rerum: quia non quolibet intelligibile: sed ens secundum se diuiditur in hæc; quinto Metaph. & ita nullum istorum est ens secundum se distinctum ab ipsis decem.

Contra: tunc videtur; quod Logicus considerans per se intentiones, & numerum generalissimorum tantum sub hac ratione: scilicet, qua eis hæc intentione, generalissimum, possit applicari, deberet dicere plura esse generalissima, quam decem: quia plura ipsis sunt intelligibilia, quibus, in quantum intelliguntur, potest intentio attribui: licet Metaphysicus considerans ens, in quantum ens, dicere ea tantum esse decem: cuius oppositum videtur Arist. dicere dicens: Tex. com. singulum significare substantiam: vel qualitatem, &c. Non tantum singulum ens significare substantiam, &c.

Ad oppositum est Aristoteles.

Ad questionem dicendum: quod tantum sunt decem generalissima rerum, quorum distinctio non sumitur penes ali-

Quæst. Vnica. 317

aliquid Logicum tantum; sed penes ipsas essentias: ipsa enim intentio, generalissimum, est tantum variata numero in ipsis. Unde quoad id, quod est difficultas, quæ filio est magis Metaphysica, quæ Logica: ideo sufficienter hic scitur; quia ita est: quamvis forte Metaphysicus debeat, vel possit scire, propter quid.

Ad primum argumentum dico, ut supra: ad primum contra hoc, dico: quod ens per se, & non ens per se: vel ens in subiecto, & non ens in subiecto, sunt contradictionia; & ideo cum negatio non negat solam vocem, sed significatum: & non potest unico actu quolibet significatum negare; erit æquiuocum: sicut affirmatio: Sed non ens in subiecto non est idem, quod substantia: nam non ens est non ens in subiecto: neque non ens per se est accidens: quia non ens est non ens per se: sed ens non per se idem est, quod accidens: & ens non in alio, idem, quod substantia: & primum non contradicenti per se; nec secundum enti in subiecto.

Ad aliud potest dici: quod accidentia conuenient in aliquo intentionali, ut attributum substantiæ, vel posterius, substantia, in quo non conuenit accidentis cum substantia. Vel potest concedi: si esset unum nomen æquiuoce significans substantiam, & alia generalissima, ut A. & que conueniens diuersio esset entis in A. & Quando, sicut in substantiam, & accidens: quia utrobius æquio, in æquiuocum, & vniuocum.

Ad tertium contra illud dico: quod æquiuocum actu importat omnia sua significata: & ideo actu ponit accidentia omnia nouem genera: cum diuiditur ens in substantiam, & accidens. Cum dicatur: æquiuocum non accipitur simul, nisi pro uno significato: verum est; ab eodem intelligentie: sed non minus ipsum, secundum se; omnia sua significata simul ponit: & eo modo sumitur: non autem, ut intelligitur ab uno.

Ad secundum principale, dicitur: quod superlativum tantum vni condebet in uno genere: & ita tantum vnum est generalissimum in uno genere: sed non simpliciter tantum vnum. Vel alter: quod superlativum dupliciter dicitur; & exponitur: uno modo positivus, per excessum omnium aliorum: alio modo priuatius, per non excedi ab aliquo licet

alio: primo modo nullum est generalissimum simpliciter: sed tantum in aliquo genere: id est, generalius omnibus alijs in suo genere. Secundo modo quodlibet illorum est generalissimum: quia nullum est generalius. Et illa propositione: quod per superabundantiam dicitur, &c. Veræ est: ut superlativum exponitur posse: nō ut exponitur priuatius: quia multa possunt esse prima; ita quod quilibet illorum nihil est prius.

Ad tertium dictum est prius. Vel potest dici: quod multitudo Prædicamentorum reducitur ad unum, quod est prima causa, quæ prior est eis; non prædicatione; sed entitate, & causalitate, & ita potest aliquid esse prius eis.

Ad aliud de concretis dico: quod essentia significata per album est in genere Qualitatis: sed illa sub hoc modo intelligendi, vel significandi, non est per se qualitas, vel in genere Qualitatis; sed per reductionem: quia scilicet est identiter albedini, quæ est per se in illo genere. Est autem in aliquo generalissimo per se; scilicet in Quali; sed nō in alio: Quale enim à Qualitate tantum differt in modo significandi; quæ differentia, licet prohibeat prædicationem vnius de altero: non tamen sufficit ad distinguendum genera, vel ad faciendum aliquid esse in diversis generibus.

Ad aliud concedo, Quale esse generalissimum propter probationes illas, sed non aliud, quam Qualitas. Cum dicitur: habet alias species: dico: quod falsum est: Cum dicitur: prædicatur per se de alijs: dico: quod falsum est: quia species per se vnius, & alterius, differunt tantum in modo significandi.

Contra: Quale est generalissimum, & Qualitas est generalissimum: & hæc non sunt idem generalissimum: igitur aliud, Consequentia patet: quia circa ens, id est, & diuersum, includunt contradictionem per Aristot. 10. Metaph. Secunda pars antecedentis patet: quia si essent idem generalissimum: tunc vnum prædicatur de altero sic: Qualitas est Qualis: & vnum de speciebus alterius.

Dici potest: quod sunt idem generalissimum. Cum ostenditur, quod non: quia vnum non prædicatur de altero: dici potest: quod aliquid est idem alij; & non prædicatur de illo propter diuersum modum significandi: quæ diuersitas;

Tex. com.

12.

ARTIC. I.

An diuisiones complexorum, & incomplexorum, sint bene tradita?

licet prohibeat prædicationem vnius de altero; non tamen sufficit ad distinguendum generalissimum, vel species diuersas. Similiter propter istum modum significandi non prædicatur vnum de speciebus alterius: nec tamen de alijs speciebus prædicatur hoc, & illud: secundum hoc; neganda est hæc: albedo est species qualis: quia & hæc, albedo est qualis: & concedendum est: quod album non est albedo: sed non est concedendum: quod sunt species alterius generis; nec aliæ species: quia plus requireretur ad concedendum talem diuersitatem; quam ad impediendum mutuam prædicationem de se inuicem. Cum probatur superius, ea esse diuersa genera: quia non prædicantur de eisdem: potest negari: quia ex eisdem sunt species utriusque: sed hoc non est illud.

Ad aliam probationem cum dicitur: intentiones attribuuntur essentiæ; vt intelligitur: dico: quod secundum modum intelligendi abstracti, vel concreti, non variatur secundum genus, vel speciem; licet hoc non sit illud, &c.

Summa textus.

DECEM iam Anteprædicamentibus quæstionibus explicatis; incipit Doctor disputare circa cap. quintum Aristotelici operis de Prædicamentis in genere; circa quod queruntur sint tantum decem Generalissima, seu Prædicamenta? Et quod non sint tantum decem; sed vel plura; vel pauciora; nonnullis rationibus probat, quæ satis in littera patent: quibus non obstantibus concludit dicens.

Tantum sunt decem generalissima rerum: Hanc probat Aristotelis autoritate, & per argumentorum solutiones, quæ oppositum probare nitebantur; & quamvis omnia iuxta Doctoris mentem videantur clara; nihilominus quia multa ab illo concessa, & negata aliquum mentibus non quadrant; id est de illis per nonnullos Articulis est inuestigandum.

OCCASIONE desumpta ex litterâ Aristotelis, supra quam, præsentem quæstionem fundavit Doctor; prius quam Articulos ad eam spectantes mouamus, hunc in principio mouere voluimus; ne duo Anteprædicamenta, quæ diuisiones appella viimus, intacta prætermitterentur: nam quamvis Doctor de eis nō egreditur; forte quia facilimâ sunt; nos tamen breuiter illa transcurremus. Duas igitur diuisiones in secundo capite Anteprædicamentorum Arist. assignauit; quarum prima est: eorum, quæ dicuntur, quædam dicuntur secundum complexiōnem; vt homo disputat: alia vero sine cōplexione: vt vincit: currit: homo. Leo. &c. Itaque illa dicuntur cum complexione, quæ media te conceptu complexo exprimuntur: & illa sine complexione, quæ mediante conceptu in complexo significantur.

Secunda diuisio sic se habet: eorum, quæ dicuntur; quædam dicuntur de subiecto; & in subiecto non sunt: vt genera, & species Prædicamenti substantiæ (dici enim de subiecto est superioris de inferiori prædicari: sicut esse in subiecto est esse in alio; sicut accidentis in subiecto; vel denominatiue de subiecto prædicari: vt sunt accidentium genera, & species) Alia sunt in subiecto, & de nullo subiecto essentialiter dicuntur: vt accidentia singularia: sicuti hæc albedo, hæc iustitia: sunt enim in subiecto; sed de nullo: vt superioris de inferiori dicuntur: Alia in subiecto sunt, & de subiecto quædam essentialiter dicuntur: vt accidentia communia: v.g. charitas est in anima; vt in subiecto, mediante suo singulari, & de ipso suo singulari, vt de inferiori, essentialiter dicuntur: Alia denique nec in subiecto sunt, nec de subiecto dicuntur: vt sunt individua substantiæ: v.g. Petrus, & Ioannes; & de istis diuisionibus, & de carum finibus inquirimus in praesenti.

Et contra primam diuisionem fit primum, in hoc Articulo, argumentum: prima diuisio defuit ad cognoscendum ea, quæ sunt in Prædicamentis, ab illis, qua in Prædicamento non sunt: quia sola entia in complexa, in Predicamento collocantur: Sed corpus animatum est quid complexum; & tamen in Prædicamento ponitur: igitur hæc diuisio inutilis est, & superflua.

Secundo, secundum Aristot. ly currit, & ly disputat, & cetera huiusmodi, sunt incomplexa: sed hoc est falsum: vt volunt Ammonius, & Villapandanus: sunt enim complexa: ergo prima diuisio confunditur: probo minorera: nam talia verba significant actionem, & subiectum ipsius actionis: quod est complexe significare: igitur, &c.

Tertio, contra secundam diuisionem: nam secundum Phylosphum, multis in locis, plures sunt modi essendi in alio: scilicet, vt pars integralis

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

gralis in toto integrali: sicut manus in corpore: Secundo vt totum in partibus, ex quibus constat: Tertio, vt species in genere; seu sub genere: Quarto, vt genus in speciebus: Quinto, vt forma in subiecto: Sexto: vt effectus in virtute sua causa: Septimo, vt contentum in continente: sicut vnum in dolio: Octavo, vt Rex in Regno per Imperium: Nono, tandem, vt res in suo fine: sicut avarus in pecunia: sed ex istis nouem tantum in ista diuisione fit mentio de quarto, & quinto; & non de alijs: igitur hæc diuisio est diminuta.

Dicendum: prædicta diuisiones sunt optimæ à Philosopho traditæ. Patet: tum ipsius auctoritate: tum etiam quia intentum huius libri est omnia, quæ in mundo sunt, ad certum numerum redigere; & quæ illorum sint in Prædicamento ponenda: quæve ab illo reiçienda nobis manifestare: sed per primam diuisionem scimus omnia, quæ sunt in mundo, esse complexa, vel in complexa, ex quibus solum incomplexa in Prædicamento collocantur: vt infra dicemus: & quia omnia, vel sunt substantia, vel accidentis: & ideo necesse est scire differentiam eorum, quæ ponuntur in Prædicamento substantiæ, ab his, quæ ponuntur in Prædicamentis accidentiis; ideo secunda diuisio est a signata; quæ ad hoc deseruit: ergo sunt optimæ, & necessaria, signatae.

Ad argumentum: ad primum dico: quod corporis animalium sumitur duplicitate: vel vt representant nobis aliquod complexum; & sic falsa est minor: vt circumloquitur nobis aliquod incomplexum; & ita bene in Prædicamento ponitur: & concedo minorem, negando tamen consequiam.

Ad secundum, nego minorem: nam ex primo Peribermenias cap. 3. verba simplicia absolute sumpta nomina sunt: nomina autem res significant incomplexe: ad probationem eorum discessum: quod verbum non significat subiectum actionis, sed tantum connotat illud: nullum tamen complexum dicitur: ex eo, quod connotat; sed quia complexe significat: alia omnia concreta complexa forent: quod est falsum.

Ad tertium nego consequiam: nam tantum hic agitur de illis modis essendi in alio, quæ ad cognitionem Prædicamentorum condicunt: & cum tales sint solum quartus, & quintus; ideo illorum tantum meminit Aristoteles.

ARTIC. II.

An ens, quod diuiditur in substantiam, & accidentem, sit diuisum immediatum in decem Prædicamenta?

PRS affirmativa aliquibus ex nostris vera videtur: vt docet Margo, seu Annotatione Mauritii super formalites; fol. 83. probantque illam hac ratione: nam Accidens in dicta diuisione æquivalet noue ge-

neribus; ac si illa numerarentur: ponitur enim tantum breuitatis causa: ergo ens creatum, quod dividitur in substantiam, & accidentem est immediatum diuisum in decem genera: ac per consequens talis diuisio est bona.

Cæterum, quia hæc sententia vera est, si recte explicetur: ideo pro reali intelligentia notandum primo, quod ens reale multipliciter dividitur; vt in formalitatebus supra patet: sed ad nostrum propositum sui prima diuisione, & quo ad nos, dividitur secundum Doct. quodlib. 5. per quantum, quantitate perfectionis simpliciter, & non quantum; id est perfectionem simpliciter non dicens. Rursus, ens quantum; aliud infinitum, & in creatum; & est Deus: aliud finitum, & creatum; & est creatura. (Licit diuisio ens in Deum, & creaturam: si prima omnium, sumptuose secundum se: & ex natura sua: nam diuisio per quidditates intimior est, quia per passiones: sed nos illud diuidimus secundum nostrum modum confuse concipiendi) Rursus ens reale quantum finitum aliud est ens per se, seu secundum se; aliud per accidentem: vt homo albus. Tandem ens per se immediate in decem genera dividitur. Ratio autem diuidendi ens primo per quantum, & non quantum, est: quia concipiimus gradum entis communem in unoce Deo, & creaturæ, ac per consequens debet esse communicabile: & hoc est esse quantum quantitate perfectionis: sicut est conuersus non esse communicabile est esse non quantum: & sunt relationes diuinas. Nota tamen: quod prædictæ entis diuisiones non sunt omnes immediatas; sed tantum aliqua.

Secundo notandum ex Doctore in expostione quinti Metaph. cap. 7. aliam esse diuisionem entis realis in substantiam, & accidentem: & aliam in ens per se, & in ens per accidentem: nam diuisio in substantiam, & accidentem, est diuisio entis realis, vt forte abstrahit ab ente infinito, & finito: & hoc modo substantia dicitur propriissime de Deo: at vero diuisio entis in ens per se, & in ens per accidentem, solum est entis finiti: præterea etiam, si prima diuisio sit entis finiti, adhuc est inter utramque maximum discriminem: nam illa, vt ait Doctor, est entis realis absolute sumpta: quia tam substantia, quam accidentia, sunt ab solute entia: ista vero est entis, secundum quod respectu consideratur; id est, comparando accidentem ad substantiam: vt homo albus: vel accidentem ad accidentem: vt album musicum: in hoc enim sensu dicitur ens per accidentem: ablatum tamen compensatione, tam homo, quam albedo, sunt per se entia.

Nec ex hoc sequitur: decem genera esse formaliter respectiva, sed tantum denominatiue: sicut omnia creata; licet sint entia absoluta; dicunt tamen dependentiam ad Deum, a quo dependent. Nec etiam sequitur: esse omnia proprie absoluta: nam licet omnia Prædicamenta sint absolute; vt absolutum dicit non aliud de non inare; non vero, vt absolutum dicit esse ad se; prout sumitur contra esse ad aliud.

Tertio notandum: quod quando aliqui Scotisti dicunt: entis diuisionem in substantiam, & accidentem, esse immediate in decem genera; ly ens

1. Nota.

2. Nota.

3. Nota.